

catorum Animas a Corpore sejunctas, in *Sonnum* rapi, ac tum solum excitandas, atque in *Ignem æternum* trahendas, quum Christus Juxta de omnium hominum sorte decernet. *Æternum* appello *Ignem* illum, verbis eisdem usus, quibus utitur ipsemet Christus, sed cujus *Æternitatem* idem Burnetus, ac Tillotsonus nostris temporibus in dubium revocarunt, immo sustulerunt. Nam quid jam non audeat inter Britannos effrenis sentiendi licentia, ex quo a Catholica Ecclesia, numquam satis deploranda secessione, defecerunt, & privato cujuscumque judicio ac arbitrio subiecta est doctrina Fidei, quam & sacrae Literæ & Patres ab Ecclesiæ voce petendam tradiderunt? Idcirco peregrina in dies dogmata apud illos emergunt, aut veterum errores veluti gemmæ recuduntur, ne quid unquam desideretur novi ad Eruditorum illorum nundinas deferendum: eo tamen successu, ut in tanta instabilitate sacri depositi, qui credebant, credere desinant, & Religioni sensim Atheismus succedat. Itaque posita Burneti sententia, Improbis addatur animus necesse est, ne ab iniquitatis via recedant; flagitiosæ quippe illorum vitæ pœnas a Deo paratas ita procrasinat, ita emollit, ut terror iis a Religione inensus profusus exarmetur, leves etiam in auras apud multos evanescere possit. Scilicet ille malos Igne excrucandos ante postremum Judicium minime consentit; pœnas ipsas, ac damnatorum miseras Sempiternas fore, satis aperte negat. Aut in nihilom Spiritus illi tandem conjicietur (quod famosus vir Henricus Dodvellus antea senserat) aut post emendationem ac pœnitentiam a Deo misericorde veniam impetrabunt. Interea qui ex præsentis Sæculo a Mille & Septingentis annis migrarunt, nondum subiere Judicium, nondum Infernis cruciatibus addicti fuere. Id tantummodo præstandum, adveniente postremo Mundi hujus die, quem aut sero nimis, aut nunquam adfuturum, facile sibi gens nequam persuadeat. Hæc profecto gratissima Peccatoribus nuntia; ac potissimum quod iis liberum relinquitur, sacras Literas in hocce argumento interpretari, prout quisque magis consonum divinæ Clementiæ arbitretur. Verum quid aliud hæc sunt, nisi nervos præcipuos Christianæ Religionis excindere, quæ præmiis & pœnis, ab omnipotenti, justo, ac veracissimo Deo propositis, quotidie bonos ad arduum Virtutis iter animat atque incendit, malos vero ab iniquitate deterret? *Væ illis*, inquit per os Ezechielis Altissimi, Cap. XIII. 18. *qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus; & faciunt cercicalia sub capite universæ ætatis, ad capiendas animas; & quum caperent animas Populi mei, vivificabant animas eorum.* *Væ illis*, qui per dulces sermones Justitiam Dei in Improbos enervant ac tollunt; ejus verò Beneficentiam erga Justos extenuare non cessant.

At, inquit Burnetus, nostrum non est, aut istis præmia, aut illis castigationem pro arbitrio nostro decernere. Sacrae tantum Literæ audiendæ sunt, Patres quoque auscultandi. Hoc unum ex eorum do-